C. R. BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS JAGELL. CRACOVIENSIS
B V 3 C
16959
I Mag. St. Dr. P

Charbicki Stanislai: Felicissimo adventui Iacobi Zadik laetum celeusma.

PANEG. et VITAE
Polon. 4°
№ 1179.

FELICISSIMO ADVENTVI

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

D. JACOBI ŻADZIK,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia

EPISCOPI CRACOVIENSIS,

DVCIS SEVERIÆ, &c. &c.

LÆTVM CELEVSMA,

IN FLVENTO CASTALIO

Fauentibus Superis,

Annuente Apolline;

Effusâ in hilaritatem Cracouiâ.

EXCITATVM

A

STANISLAO CHARBICKI

Philos. & Eloqu. St. in Al. Acad. Crac.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

91.

1636

NOBILISSIMI STEMMATIS LVBIENSCIANI RRÆSTANTIA.



C. R. BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL CRACOVIENSIS

16959 I

IAm caue non tantùm gladium Thrax prædo profanum,
Nam quoque Præsuleus mucro timendus adest.
Si dubitas quid mucro valet, caput inspice plexum,
Vnicus hæc ictus sternere colla potest.
Et nunc tuta quidem non pugnat Præsulis ense
Lechia, belligeris sunt sua tela viris:
Si tamen incumbant infesta pericula nobis,
Tunc precor adfer opem, sed cito, mucro sacer.

Illustrissimo & R̃ndissimo D̃no,

D. MATTHIÆ LVBIENSKI.

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Wladislauiensi & Pomeraniæ.

D. & Patrono suo Fauentissimo

N*Vnquam ego Præsul Illustriss. ex ortu syderum tantam varietatem conspexi in orbe, quantam diuersitatem ex aduentu Principum virorum deprehendi in Vrbe. Vel solus Illustrissimi & R̃ndissimi D̃ni D. JACOBI ZADZIK* pronunc Cracouien: *Antistitis aduentus, quam gratulationum copiam, læti animi indicia, hilaritatem, apparatum, salutationis studia, ad cuiusdam triumphi speciem facta excitasse non cernitur? Ne Centaurus ipsa aut aliqua nauium præstantior tot celeusmata concitare potuit, quot argumenta lætitiæ Nauis felicissima Illustriss:* Nostri *Antistitis effecisse conspicitur. Nunquam enim viri præstantissimi aduentus potest esse obscurus, cuius tota vita versatur in oculis Ciuium. Meruit hoc Illustr̃mi Antistitis virtus, vt cum*

Cracouia quem cum hoſpitem rariſsimum, tum Præſulem Digniſsimum atq́ Optimum ſalutauerit, ſolum intueretur, in ſola illius amplitudine & virtute defixa cæterorum omniũ obliuiſceretur. Sed neq́ Tua virtus & dignitas in hac luce poterit latere, aut tam incuſſus nobiliſsimorum hoſpitum ſplendor, vt Tuo honori obſtrueret. Non eſt tam maligno nobiliſsima hæc Vrbs obtutu, vt in vnius luce dignitatis defixa, cæterorum nihil veneretur amplitudinem. Non ſoli itaq́ Naui Jlluſtriſſ: Antiſtitis ſui celeuſma cecinit, Te etiam ſalutauit Ampliſsimum Præſulem, Optatiſsimum hoſpitem, gráuiſsimum & florentiſsimum Senatorem. Excepi ego Præſul Jlluſtriſſ: à fluento Caſtalio iſtud celeuſma, quod illius nomini deberi aduerti, quod cum Celſitudini Tuæ offero, oro atq́ obſecro, vt hanc operam meam, quanquam non tam operam quàm animũ Celſit: Veſtræ multis modis deuinctiſsimum beneuolentia gratiaq́ Tua proſequaris. Dat. ex florentiſsima Vniuerſitate ſtudij generalis Crac: VIII. Cal. Febr. Anno Dñi M.DC. XXXVI.

Illuſtriſsimæ Celſit. Veſtræ

Seruus humillimus

STANISLAVS CHARBICKI.

AD NOS INCLYTA VIRTVS.

HVc o paratis cincta cohortibus
Craci iuuentus, flecte volantium
Cursus veredorum, & morantem
Huc age præpropere Camænam.
Satis morarum, desine lubrico
Torpore mentis diffluere intima,
Huc concitato calle curre,
Hinnuleis similis quadrigis.
Viden! sereno fulgida Parrhasis
Splendore, signis clara micantibus,
Inauguratum luce Mystam
Euocat his radijs, cietq́;.
Cessa morari, nam tibi nuncia
Tranquilla pacis, portat Olympicis
Hæc fax ab astris, criminosi
Castra procul fugiunt Cerastes.

Fugit rebellis nixa furentibus
Lues maniplis, quæ toties tuas
Ardebat insensata in ædes
Sat veteri malè sana fuco.
Disrumpe mentis vincula strenuæ,
Intemperatos pectoris impetus,
Atrocia & mentis venena,
In caput horrisonum retorque.
En te beatis vecta Trionibus
Salus, habenis pertrahit imperi,
Quo cuncta Cleri, cuncta terræ
Iura regantur, & ambientis
Sedem Poloni. Pergite prosperè,
Huc huc volantes currite Principes,
Et tu beatus fronte Phœbe
Igniuomas agites quadrigas.
Salue secundo sydere, te Integer
Craci Senatus, castra Quiritium
Mystam salutauere votis,
Iamq; ferè tibi nutat omnis

Polona

Polona pubes: iam reſonabiles
Campi, iocoſa vocis imagine,
Collesq́ certatìm & profundæ
Plauſibus intonuêre ſyluæ.
Ter viſus omni ſe (Pater) Iſtula
Mouiſſe ripâ, ter tibi frondeam
Flexiſſe ceruicem & recliui
Carpathus attremuiſſe pinu.
Tibi beatus tramite proſpero
Dies coruſcat, claraq́ Cynthia
Vix iam quadrigas noctilucas
Suſtinet, vt Tibi gratuletur.
Ergo Iuuentus munera Præſuli
Offerre prompto pectore præpara,
Quâ corde docti quâ Camæna,
Huc properos agitate greſſus.

AD NOS LAVDIS AMOR.

PErſonet magnus fragor in patenti
Vrbe, quam tandem beat auſpicatus
Clangor,

Clangor, & pulchrè redimita pubes
Daphnide psallat.
Ferte Cyrrheæ Cytharam sorores,
Et lyrâ festum modulare carmen
Phœbe, festiuo redimite serto
Tempora circum.
Hinc io læti geminent sodales,
Hinc io cultæ repetant Camænæ
Hinc io totis fidibus per omnes
Increpet oras.
Mysta felici properare cursu
Te iuuat, tantis decorare pompis
Te iuuat, cingi niueo decentem
Syrmate Mystam.
Curre iam Regum superas in ædes,
Vrbs Craci, soli tibi quando seruit,
Robur & soli tibi quando cedit
Lucifugarum.
Iam tuam fulgens Stephanoma lambit
Verticem, cingens capitis nitentem,

His

His amor laudis celebretur oris
Aſtra reuiſens.
Te ſuis pennis ſuper orbis axem,
Qui gyros grandes fabricat rotatu,
Et polos trudit radio coruſcos,
Gloria tollat.
Nominis tanti volitet per omnes
Laus plagas orbis, ſua quò venuſta
Luna ſolari recreata luce
Cornua flectit.
Te Deæ cantent meliore verſu,
Melleas tanto fabricent Camænas
Præſuli, ludat Tibi Magnus Hæmi
Vates Apollo.
Ite feſtiuis redimita myrtis,
Ite frondenti redimita lauro
Templa, nam vobis genitus, ſubintrat
Mœnia Præſul.
Obuia tanto Lechiæ ſagatæ
Præſuli, cernis tuus, Alma Craci

Vrbs, ſubit, multa comitatus aula,
Pergama Præſul.

AD NOS VRBIS HONOR.

VRbis Sceptrigeræ mœnia maxima,
O altaria præclara penatibus
Tot Diuis, retinet ſydèra quot polus
Dum Lunæ radiat die.
Feſtiuam faciem ſumere fas tibi,
Et pectus nitidum dulciloquo metro
Illuſtrare decet, celſaq; laudibus
Tempus condere carmina.
En Sceptri Lechici delicium venit,
Rebus quod dubiis conſilium bonum
Præfert ceu radios, altiùs, impia
Scindens colla ſuperbiæ.
Præſul, poſteritas ſera canet cui
Abſumenda malis carmina mentibus
Nullis temporibus, iam tua limina
Conſcendit pede proſpero.

Cœli

Cœli lampadibus conſpicui ſuis,
Craci verticibus qui ſtephanomata
Datis, nunc radijs lucidioribus
Ornetis proprias faces.
Portentis ſcelerum fixa proteruia
Ad gentes abeat tramite barbaro,
Heu falſo nimium flexibus aſperis,
Quos nouit pede currere.
Virtutum veniunt agmina ſplendida,
Quarum quæque ſuis cincta cohortibus
Ducit continuis paſsibus ordinem,
Ipſo plus Ioue candidum.
Hîc paſsu grauiori rigor aduenit
Diuûm iuſtitiæ, iam lateris tenet
Partem, cunctaregens, omnibus imperans
Rerum certa ſcientia.
Hinc arcana fides, grata modeſtia
Claris conſpicue conditionibus,
Ceu ſtellæ rutilæ quæ nitidè ſatis
Exornant faciem poli.

Quis cunctas poterit carminibus ſuis
Enarrare deas, tantaq; numina,
Quæ currunt, ſocios accelerans ſibi
Sacro Sanguine conditos.

Titan conſpicuus curribus aureis,
Splendentes iaciens axe ſuo faces,
Et pulchre exoriens, præcipiti pede
Vaſto curreret æquore.

Antequam valeam cincta phalangibus
Decantare valens eſſeda, Præſulis
Virtutum, veluti lumina ſplendida
Dum noctis tenebras fugant.

Ergo Præſuleis clarus honoribus,
Virtutumq; ~~claris~~ cincte nitentibus [choris]
Vrbis Sceptrigeræ limina proſperis
Intres ominibus poli.

Iam non ambiguo tramite deuians,
Ludet Sarmaticos vafricies Lares,
Pro nobis ſiquidem tu excubias ages
Vrbis ter geminum decus.

AD NOS

AD NOS PACIS ATLAS.

NOn eſt pax onerosa; tamen ſunt pondera pacis,
Nec quoſuis humeros, poſtulat atque manus.
Aurea ſit quamuis pax; non dêêſt pondus & auro,
Opprimit exiguos aurea maſſa humeros.
Sydera ſunt quamuis flammâ leuiora volaci,
Cur tamen Atlantis vertice nixa iacent?
Aurea nam vulgo ſunt ſydera, pondus in auro
Noſcitur, hinc ingens ſydera geſtat Atlas.
Aurea pax etiam nunquid ſine pondere iuſto
Stabit in vnius vertice, mole grauis?
Tu Præſul, Tu pacis Atlas; pax aurea ſtabit
Aurea, ſed ſacro vertice ſtare velit.

AD NOS CONSILIVM.

PRæſul adeſt huic ampla, Craci Vrbs, penetralia pande,
Præſul Conſilij Mens bene fida tui.
Et quo iam male ſana cohors inimicaq; veri,
Iactas conſilium ſed ſine mente tuum?

AD NOS

AD NOS GRANDE IVBAR.

DEsine lugubri memorare Cracouia lesso
Præsulis extincti tristia fata tui.
Quamuis funereâ demersam lampada nube
Vidistiq; Tuo sydera fusca polo.
Iam Tibi Præsuleâ radiat lux orta Tiarâ,
Ingrediturq; laris Pergama celsa Tui.
Clara quidem Phœbi cum lux ascendit Eoo,
Sed caret interdum lux quoq; tanta die:
Mergitur Oceano, tegitur caligine furuâ (bar.
Grande quidem, sed quid? non sine nube iu-
At Præsul qui celsa subit penetralia Craci,
Non tam grande quidem sèd sine nube iubar.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Martini Philipowski,
Anno Domini, M.DC. XXXVI.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0016825